

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive  
Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

14. Spiritus salis armoniaci Trismosini

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](#)

## IV. GENUS.

*Menstrua Vegetabilia Simplicia ex Spiritu  
Vini Phil. & salibus Volatilibus, uti sunt  
Sal Armoniacum vulgi, Sal Sanguinis, Uri-  
næ, Fuliginis, &c.*

14. *Spiritus Salis Armoniaci Trismosini,  
In Tract. Aquilæ nigræ p. 13.  
Aurei Velleris Germ.*

R. **S**alis Armoniaci libram unam, Salis communis fusi libram unam & dimidiam; hæc optimè pulverisata & mixta sublima. Sublimatum cum novo sale iterum sublima, idque reiterandum toties, donec Sal Armoniacum fiat instar Spiritus (pulveris) impalpabilis, tunc Spiritu Vini (Phil.) imbibe, & vase bene clauso ponas in Balneo ut solvatur, solutum decanta, quod addito novo Spiritu Vini putrefac per octiduum in Balneo, postea destilla leniter ex Balneo medietatem, destillatum reaffunde residuo, iterumque destilla, sed igne fortiori, ut omne ascendat per Alembicum. Destillatum toties rectificat usque sit absque fecibus.

## Annotationes.

**H**actenus de rebus Oleofis Spiritum Vini Phil. acuentibus; jam sequuntur, quæ minus Oleosa sunt, Salia volatilia. Quæ etiam si minimè videantur Oleosa, ea tamen esse talia facile demonstratur ex sequentibus Salium Harmoniacorum præparationibus, quorum Terræ, alijs fixissimæ & cerefluentes, solâ menstrui unicuositate redundunt volatilia: Sed hæc nostra nunc non erit inquisitio. Sufficit nobis, uti Crudo & communi Sale Armoniaco, Sale

*Sale urinæ, Sanguinis, &c. pro Spiritu Vini Phil. acutione, quæ Salia ariditate suæ, prædictis Oleofis magis alterant hujus Spiritu Unctuositatem, adeoque fortius consciunt Menstruum Vegetabile. Idem Receptum Trismosinus habet Libro novem Tincturarum in Tinctura quarta pag. 59. ut & in Tinctura Pitrumofonis Philosophi Angli pag. 90. prædicti Libri. Trismosinus Sal Armoniacum Crudum sublimat aliquoties de Sale fuso, ut accutatur hujus Salis aciditate, posteaque eò melius dissolvatur Vini Phil. Spiritu. Geber de investigat. Magist. pag. 284. Sal Armoniacum sublimat cum Salis anaticâ proportione. Aristoteles Chymicus hanc sublimationem perfecit hoc modo pag. 74. Volum. 3. Theat. Chym.*

R. De Sale Armoniaco libram unam, de spuma maris uncias sex, de Sale Gemmæ, de Sale communi, & Alumine ana uncias duas; contere hæc omnia & cribra per setaceum spissum, tunc mitte in Aludel, & sublima, iteraque sublimationem.

Sal Armoniacum ita sublimatum imprægnatur Spiritu Vini, (non communis, processus enim tum non succederet, sed Vini Philosophici) posteaque dissolvitur per deliquum. Nam hujus Spiritus Unctuositas Salis Armoniaci substantiam sibi heterogeneam non nisi successivè & per lentos gradus dissolvere potest. Hinc dissolutione hæc melius succedet juxta Lullii methodum. In Phlegmate, inquit, Vini Lotii (Vini Phil. ex Urina Confetti) dissolve Sal Armoniacum, transmitte per filtrum, ac per Balneum Aquam removebis, & remanebit tibi Sal coagulatum & album, iterum dissolve cum Phlegmate, ac per Balneum transmitte. Deinde accipe tantam quantitatem Aquæ Vitæ, (Spiritus Vini Phil.) quantæ quantitatis fuerit Phlegma, superfunde simul super eundem Salem, & occluso vase cum suo antenatorio (Alembico cæco) pone in Balneo per 24 horas amoto antenotorio, & superposito Alembico destillabis per Balneum igne lentissimo, cùm Sal coagulatum fuerit, ipsum iterum congelabis; hoc modo dissolvendo vicissim & congelando ter, idem Magisterium iterabis. Atque ita dictum Salem in Virtutem Vegetativam auxilio Spiritus Vegetativi, quo ipsum dissolvisti & congelasti, reduxisti. Lullius in Exp. XVI. Sal Armoniacum facile in Phlegmate Vini Phil. dissolvitur, adeoque hoc medio citius unituoso Spiritui Vini Phil. conjungitur, quam si immediatè injiceretur in hunc Spiritum. Trismosinum hanc etiam scivisse, &

alio

( 38 )

aliquando hac Methodo usum fuisse appareat ex sequenti Men-  
struo.

### 15. Aqua Salis Armoniaci alia Trismosini.

In Tinctura Gereton, pag. 98.

Aur. Vell. German.

R. **S**alis Armoniaci Crudi libras duas, dissolvatur in Vino  
(Phil.) Cristallisetur, Cristalli solvantur per deliquium,  
dissolutum divide in duas partes, quarum unam destilla in al-  
teram forti satis igne, conjunctas partes rectifica in Aquam for-  
tem Salis Armoniaci.

*Sal Armoniacum itaque vel Phlegmate Vini Phil. ( id est, Aqua  
ardente non rectificata ) vel Vino ipso Phil. dissolutum, Cristal-  
lisatum, & per deliquium resolutum, per se vel novo addito  
Vini Spiritu destillatur in Aquam Salis Armoniaci.*

*Non ex Sale Armoniaco tantum, sed ex reliquis etiam Salibus  
volatileibus hoc conficitur Menstrorum genus. Ita ,*

### 16. Sulphur Gelativum Lullii,

In Exp. VIII.

R. **S**piritum prædictum animatum ( Urinæ ) de eo unam  
partem, & Aquæ Vitæ perfectè rectificatæ partes quatuor,  
quas statues super ipsum Spiritum animatum, ac protinus oc-  
clude vas, ne respiret ; quod vas sit bocia, quam concute tuis  
manibus agitando ; sic in ictu oculi sive momento videbis totam  
Aquam in Salem esse conversam. Quod si in ipsa Aqua Vitæ  
( Phil. ) esset pars aliqua Phlegmatis, protinus ab ipso Sale se-  
parabitur in forma Aquæ, propterea Aqua Vitæ debet esse quām  
optimè expurgata ab omni Phlegmate, ne , cum hoc opus fiat,  
quicquam Aquæ remaneat cum ipso Sale, sed totum converta-  
tur , quod erit melius & utilius , atque hoc pacto habebis Sa-  
lem Animalem & Vegetabilem, quem coagulativum vel gela-  
ti-